

COGITATIONES  
DE  
VI LINGUÆ IN GENTIS  
INGENIUM,

QUAS  
VENIA AMPLISS. FACULT. PHILOS.  
IN REG. ACAD. ABOËNSI,

PRÆSIDE  
*M. HENRICO GABRIELE  
PORTHAN,*

ELOQUENT. PROF. REG. ET ORD. R. ACAD. LITT. HUM.  
HIST. ET ANTIQUIT. MEMBRO,

*Pro Summis in Philosophia Honoribus,  
Publicæ censuræ modeste offert*  
*JOHANNES BERGIUS,*

SUDERMANNUS,  
IN AUDIT. MAG. die III JULII  
AN. MDCCCLXXXIX.  
H. A. M. C.

---

ABOÆ Typis FRENCKELLIANIS.

Viro Maxime Reverendo & Celeberrimo,  
D:no JOHANNI GUSTAVO  
BERGIO,  
S. S. Theologiæ Doctori,

Ecclesie, quæ in Björkvik Deo colligitur, Præposito &  
Pastori Vigilantissimo,

Parenti Optimo,

Has pagellas, in tesseram pectoris filiali pietate calen-  
tis, beneficiorumque in se nullo non tempore large  
collatorum nunquam immemoris, sacratas voluit, debuit,

Optimi Parentis

Filius obedientissimus  
JOHANNES BERGIUS.



§. I.

**Q**ui præclaras hominibus a Summo Numine large concessas curatius perpendit dotes, illico sane compertit, has a brutorum animantium illis longe esse diversas, multoque perfectiores.

In primis vero singularis illa facultas, sensa cum aliis communicandi, vitæ eorum conditionem multo commodiorem atque feliciorem reddens, clarissime hanc demonstrat præcellentiam: qua quidem orbati, vel aliis vel sibi met ipsis parum prodeste possunt homines. Inter linguae vero hanc facultatem, & ingenii humani cultum, arctissimam intercedere societatem, vim utramque & ad eundem tendere finem & unam alteri fidam se præbere comitem, nec alteram sine ope alterius ad laudem aliquam adscendere posse; quisque rem vel parum perpendens, cernere mox valet.

Quod quidem ad Ingenium adtinet, singularem ejus in linguae conditionem influxum nemo non animadvertis. Quis enim non videt, linguam, nisi rationis ingeniique ornaretur opibus, nil nisi rudem, pauperem ac indigentiam vocum idearumque manusram esse congeriem? Hinc tam antiquioris quam recentioris ævi Historiam consulentes, linguam gentis cuiusque pro ingenio hominum

¶ 2 ¶

num, vel cultam, egregiam atque laudatam vel agrestem  
incommodam ac informem fuisse deprehendimus. Sed  
nec minus ab altera parte gravem ac manifestam lingua  
gentis in ingenia hominum, vim habere reperitur. Unde  
permagnam, alterius populi præ altero, in animi facul-  
tatibus excolendis, litteris expoliendis, moribus forman-  
dis, singularem facilitatem, ex linguarum varia indole  
pendentem, observare haud ægre licet. De qua re  
pauca, Speciminis loco Academici jam a me disputanda,  
ut mitiori B. L. subjicias censuræ, quo par est verborum  
honore rogo.

§. II.

Instrumentum aptum atque fini intento perfecte con-  
veniens, artifici cuicunque, peritissimo licet, egregii quid  
in materie rudiori vel formanda vel polienda efficere  
cupienti, maxime esse necessarium; nemo non intelligit.  
Quando igitur perpendimus, linguam esse instrumentum  
communissimum & aptissimum, cuius ope maxima pars  
idearum nostrarum nobis exhibetur, cogitationumque  
forma & indoles varie fingitur atque afficitur, nec non  
combinatio & associatio illarum varia paritur; fieri ne-  
quit, ut mox haud sentiamus quam gravem linguæ in-  
doles in hæc omnia vim exserat. Pauci omnino sunt ho-  
mines, (nec fere nisi quorum res angustiores commodio-  
rem discendi rationem iis adimunt), qui per se & ex se  
discant: ac hi etiam, quam pauca ipsi investigant, in  
quaꝝ sc. vel per aliorum sermonem, vel per libros, non  
sunt deducti! Quantilla pars idearum nostrarum immedia-  
te ex ipsis rebus nobis acquiritur pariturque! Quam igi-  
tur tenuis, quam exilis, quam manca, nostra esset co-  
gnitio, nisi alii ope sua & auxilio illam nobis instillarent,

ac

ac deinde alerent & locupletarentur. Alias ideas, nobis inde ab infantili ætate e consortio aliorum sensim comparamus, alias ex instituto parentes & doctores nobis tradunt: hæc vero omnes a linguae indole, per quam nobiscum communicantur & custodiuntur, variis affici modis, formamque eam, quam sibi illa dat, in mente nostra assumere, facile patet. Ut objecta, pro vitri colore, per quod spectanda nobis sistuntur, vario atque multiplici ipsa etiam colore distincta apparent; sic & lingua, per quam ideæ ad nos quasi transeunt, diversas, notionibus quibus mentes hominum ditantur, ingenia, facultates, morosque ornantur, species non possunt non induere. Si lingua inops est, paucæ tantum ideæ ejus beneficio possunt nobis præberi: ac quis non videat, quando deficiunt rebus designandis necessaria vocabula, nec ideas ipsas genti suppeditare posse, nec posteris exhiberi, adeoque gentem valde rudem ac hebetem mansuram? Lingua enim illud quasi horreum est, ubi ideæ gentis conservari, undeque promi & ad usum traduci atque diffundi queant. Res & objecta, quibus nulla imposita sunt nomina, quomodo ad cognitionem hominum perduci, quomodo ideas de iis distinctas & notitiam accuratam homines sibi acquirere, poterunt? nisi mere sint sensualia, ut ea digitis demonstrare, & sic aliis cognita reddere queamus. Ac quamvis etiam abundantiam quandam & copiam idearum talis suppeditet lingua; modificationes tamen varias rerum, differentias, relationes & quasi vultus pauciores, omnino menti offert; non licet tamen ejus ope penetrare in a-dya, nec offert nisi primos tantum & vulgares rerum aspectus. Cujus rei evidentissima, in linguis rudium & incultarum gentium omnium, documenta cernere licet: existunt enim, quibus linguae suæ cultura tam parum curæ cordique fuit, ut aliarum haud rerum, quam quæ-

4

necessitatibus vitæ primis ac cuique mox obviis satiandis inserviant, vocabula habeant; sensaque sic sua non possint non difficulter, imperfecte, incommodo & obscure admōdum, exprimere. Si vocabulorum verborumque significaciones confusa, incerta & vagæ sunt; quomodo ideæ hominum de rebus ipsis certæ, constantes atque accuratae evadere poterunt, per illa genitæ & propagatæ? Verba inania seriem cogitandi & compagem interrumpunt, in variaque devia mentem detrudunt; ideæ falsæ accessoriæ, principalibus adjunctæ, quæ per vocabula fallacia animo irrepunt, faciem harum obnubilant & corrumpongunt. Notiones rerum spuriæ atque judicia prava, per terminos, phrases, sententias pernicioſas, animos hominum depravant & vitiorum contagione inficiunt: talem enim illæ formam recipiunt, qualem hæ illas, a primis mox pueritiæ annis, & deinde successive, fingunt. Pauci aut otii aut perspicaciæ aut audaciæ satis habent, ad notiones suas deinde examinandas corrigendasque; sed per totam vitam illis luduntur & decipiuntur. (a)

Lingua copiosa, definita, culta, quantam contra præbet hominibus facilitatem, messem idearum accuratarum uberen, sibi invicem impertiendi! quantam opportunatatem ingenium excolendi & ornandi! Quali lingua qui utuntur, non posunt non, vel per quotidiani sermonis commercium, de cognitionis lucisque divitiis, quas continet atque suppeditat, paullatim participare, atque ad majus majusque culturae & doctrinæ fastigium evehi; natioque sic ipsa feliciter poliri atque indies quasi splendescere.

---

(a) Adeo incultæ adhuc quædam reperiuntur nationes, ut, verbis aptis deficientibus, signis aliis cuique sese offerentibus, gestibus nempe, variisque vultus & faciei motibus commutationibusque, sermonis vim & perspi-

spicuitatem adjuvare, eumque quasi interpretari, necesse habeant. Aliæ, quæ ex hac feritate & barbarie sese jam expedierunt, lingua tamen illæ etiam utuntur inopi non modo, sed etiam saepe ambigua & dubia, verbis obscuris & phrasibus incertis ac indeterminatis abundante. Nec tantum verba illis desunt necessaria, sed & classes & species verborum quædam sunt penitus ignotæ: desunt necessarii ad perspicuitatem sermonis & commoditatem pariendam casus, tempora, aliæque verborum affectiones, ad determinate loquendum multum pertinentes, quas usus & ratio cultiores gentes adhibere sensim docuit.

### §. III.

Quamvis vero magna omnino in eo eluceat sermonis utilitas, quod societatem atque commercium inter homines, ad sustentationem ac felicitatem eorum tuendam vehementer pertinens, alat & conservet; aliud tamen simul non minoris pretii & momenti nobis parit commodum, quod scilicet nobis ipso sub cogitationis meditationisque actu mirandum in modum præstat. Sed non singulas linguas hac in re ejusdem esse usus, credere fas est; quin potius permultum, etiam ex varia earum natura ac indole illam pendere, haud difficulter animadverti potest: dum alia nos adjuvat & laudatissimam fert opem, alia mentem cohibet atque quasi compedibus constringit. Quisque facile videt, linguam affluentem & copiolam, non posse non, tam in ideis principalibus formandas signandisque, quam accessoriis adjungendis, ac pluribus inter se varie connectendis, maximo esse hominibus admiculo; dum contra inopia verborum pauciores omnino admittit exhibetque & ideas & relationes earum

atque modificationes. E copia igitur indoleque verborum cujusvis linguae, magna omnino pars culturæ ac cognitionis populi pendet. Lingua meditanti aut spaciū quasi aperit amplum, idearumque latam offert copiam, aut limites objicit arctos & molestos. Hæc efficit, ut nobiliores mentis facultates vel liberius latiusque sphæram quasi suam extendere possint, vel tenebris scepītæ exsere se nequeant. In priori casu accidit, ut vix ac ne vix quidem illa in mente oriri queat aut ei offerri idea, quæ suo haud insignita sit nomine; copiaque ampliori verborum instructi homines, impressiones sensuales ac ideas quaecunque novas facilius retinere possunt; quum contra ope verborum destituti, vel sensationem antea habitam reproducere, vel rei absentis ideam pro lubitu resuscitare ægre valeant. Memoria itaque, quin etiam Imaginationis nostræ vires, sine Linguae ope fere nullæ, aut valde saltim tenues essent; quam quidem rem miseri, qui bestias inter educati eorum more vitam gesserunt, suo exemplo manifeste docuerunt: quorum quidem idearum quasi campus, valde sterilis & perangustus fuit, quin & alia eorum facultates, cæterorum mortalium illis valde inferiores, & caligine quadam ferina circumfusa, fuerunt. Ipsæ ideae non nisi paucæ admodum, nec illæ nisi mere sensuales, si loquendi beneficio homo non polleret, in sua essent potestate. Verum quidem est, eum signis licet ac verbis orbatum, talium nihilo minus extra se existentium objectorum ideam quandam formare sibi posse, quæ sensus suos externos afficiantia, hinc sibi ignota esse nequeunt: sic avis cujusdam, equi, arboris &c. idea non potest non familiaris quodammodo nobis fieri, & hinc in memoriam quoque iterum quodammodo recovari. Sed dum mutos nosmet plane desiceret, quod quidem dubitari nequit, pars illa superior

rior digniorque idearum, universalium & abstractarum; neque illa Reminiscentia, neque plures aliae animi facultates, officio suo digne fungi possent. Hujus vero generis ideas nulla ratione in animo repositas reperiri, ac neque colligi, neque ibi retineri, aut objecta meditationis nostræ reddi posse, sine instrumento terminorum, quibus significantur; unicuique curatus rem insipienti facile est ad perspiciendum (a). Soni autem, qui pro sensationibus ipsis inservire nobis videntur, bene articulati atque determinati, haud difficulter in mentem revocari possunt; qui redeentes, facile etiam ideas iterum, quæ illos antea comitata sunt excitant, & apud nos, ad classem, ordinem atque genus suum simul quasi reductas, redire faciunt. Facile hinc patet, cur tam Philosophis, quam aliis Scientiæ cujusque ac artis Magistris, alios instruere & reliquorum usui suam applicare cognitionem studentibus, summa omnino videri necessitatis debeat, ut inde ab initio, terminorum omnium artis & Scientiæ, cui se addixerunt discipuli sui, plana atque accurata hi imbuantur cognitione; quod ni fiat, labor ac cura frustra impendetur. Hinc etiam causam videre facile licet, cur lentis adeo passibus diffundi homines inter, artis cujuscunque nova atque inaudita antea scita conspiciantur; cujusque saepe, qui in Philosophia nominis fama & ingenii acumine inclaruere, ubi doctrinam aliquam novam proposuerunt, illam tamen in sua civitate prius divulgare & altius menti aliorum infigere haud potuerint, quam terminos huic doctrinæ generi aptos invenire & familiares vulgo reddere valuerint. Verum non modo maxima & insignior pars idearum nostrarum, abstractæ nempe ac universales, linguæ, qua utimur, beneficio debentur; sed etiam eandem ob causam varios eadem assumere solent colores varieque dilatari. Hæc simul es-

ficit, ut actionum nostrarum certas observare possimus regulas, & moralitatis earundem perspicienda capaces reddamur. Ex hisce igitur abunde patet, illum, cui curæ cordique est ut natio sua ingenii vires ac cogitationum dilatet campum, scientiisque & artibus imbuantur, omni nisu in id in primis incumbere oportere, ut linguæ vernaculae copiam & cultum augeat. Vel ex aliatis intelligitur, hæc ambo inter (ingenii & linguæ culturam) familiarissimum adeo cognitionis esse vinculum, ut alterum, prætermisso ac neglecto altero, vigere nequeat. Quæ quidem res præterea, Historiam generis humani cognitam habenti cuique, facile apparet. Qui per barbaros Asiae populos, per Americæ incultas regiones, varias Maris Indici insulas &c. itinera fecerunt; nos docuerunt, alios, ut in orationis, ita in rationis cultura exiguos fecisse progressus, vitamque parum a brutorum illa diversam degere. Aliæ autem gentes, quæ usum linguæ valde licet adhuc inopis ac rudis, sed tamen aliquantum cultioris callent, suo exemplo commonstrant, quantum sibi inde ad meliorem vitam degendam accesserit adjumenti. Utriusque genetis hi populi, quantum negotii doctoribus, ideas illorum augere, illustrare, polire conantibus, ob linguarum ruditatem ac imperfectionem facebiverunt! Quum e contrario populum, cuius lingua & natura est flexibilior, (ut facilius coli ac ditari possit), & jam perfectior comitorque facta, longe facilius ad Religionis, Scientiarum, Artiumque lumen adducere liceat. Sic & olim Græcos, qui in omni Scientiæ ac Artis genere adeo floruerent, ut per omnes terras præclara eorum fama & gloria divulgata fuerit, magnam sane hujus felicitatis partem, præclaræ ac omnis cultus facillime capaci linguæ, quam nec diligentissime ornare neglexerunt, debuisse, negari nequit. Sic nostro quoque avo quisque largiatur  
opor-

5 ) 9 ( 4

oportet, ex linguae cujusque indole multum pendere; quod alia natio præ alia commodius feliciusque ingenii & litterarum culturæ incumbere valeat, & quod alia tardiores, alia celeriores, majores, communioresque in his faciat progressus. Cum enim, ut supra observavimus, non alia ratione, quam per signa ac terminos, maximam idearum partem nobis comparemus, neque alia sit via easdem in animi quasi conspectum revocandi; ideæ autem tales se necessario conspicendas animo præbeant, quales ab his signis suis exhibentur, cum quibus conexæ quibusque quasi ducentibus menti offeruntur: linguae in eas influxum ingentem nemo cernere non potest. Certa aliqua lingua semper necesse est cogitemus. Hinc est, quod facillimum cuique sit vernacula, (sive illa lingua, quam infantes primum & statim ab initio vietæ discimus), meditari; ac quod aliena lingua cogitare studentibus særissime accidat, ut ad indolem & naturam prioris magis nobis familiaris, proprius tamen cogitationes nostras, earum seriem, formam, rationem, conformemus & quasi configuremus. Peregrina atque sibi haud expedita lingua meditari conanti, ideæ difficulter aderunt: & dum mens inopia verborum premitur, quorum ope & illæ animæ sese offerre & dein retineri possent, quomodo hoc opus ex sententia illi succedet? Quæ etiam causa est, cur omnino perpauci eorum, qui linguas exoticas ac peregrinas callere sese profitentur, nec nisi qui diuturna ac perpetua quadam adjuti consuetudine, & a suorum sermone vernaculæque familiaritate atque consortio fere se juncti, illis se litteris totos quasi immerserunt, assèqui illam facultatem valeant, ut istarum linguarum regulis atque genio convenienter, accurate exprimere sensa animi possint (b). Linguae enim cujusque singularis indoles, singularem quoque & varium parit cogitandi modum,

nexusque idearum diversum gignit; quo evenit, ut pergrinam quandam adhibentes, ab obscuritate ac ambiguitate, aliisque gustum vernaculae prodentibus, sibi cavere vitiis homines difficulter possint. In magnis licet linguae divitiis, qui illam parum callet maxima tamen premitur penuria, neque verba neque ideae satis ei sufficiunt; saepe a varie confusis ac commixtis, & non raro hinc aut absurdis aut inanibus ideis deceptus, in devia, ipse errorum suorum sibi haud conscientius, precipitatur, atque misere sic fallitur. Quando autem termini usu frequentiori familiares nobis facti sunt, contra haud raro evenit, ut cum illis etiam mente cassis, gravissimas tamen conuentas ideas putemus, nudaque sic vocabula cogitemus. Quæ omnia Historia Litteraria satis superque confirmat (c).

---

(a) Sic si verbo peuliari numerum quemcumque in genere designare non valeremus, e. g. *decem*; neque idea, quam de istiusmodi numero formamus, nobis suppetret, aut representari posset, nisi re vera totidem adessent simul objecta, ad quæ adtendere uno quasi aspectu esset necesse: sed quis non videt, nos parum, in arduis meditationibus, mentisque operationibus, hæc genera spectantibus, usu terminorum destitutos, proficere sic posse?

(b) Cogitemus tantum, quid plerisque nostrum Latine scribere conantibus accidat. Quam pauci Ciceronem legentes, satis vivide & subtilitatem ratiociniorum suorum, & vim verborum suorum sentiunt! Quantam turbam errorum male intellecta, & incommodo versa, scripta veteris ævi (ex. gr. Bibliorum Sacrorum) pepererunt!

(c)

(c) Cfr. de toto hoc argumento egregie disputantes  
 Dn. SULZER, Anmerk. über den gegenseitigen Ein-  
 fluß der Vernunft in die Sprache, und der Sprache  
 in die Vernunft (Vermischte Philos. Schriften i Th.  
 p. 168 seqq.), quæ observations Gallice leguntur  
 in Commentariis R. Acad. Scientiar. & Litt. Humanior. Berol. A. 1767; VON IRWING, Erfahrungen und  
 Untersuchungen über den Menschen II B §. 134, 141,  
 144, in primis 154, 169 seqq. 196; MONBODDO Von  
 dem Ursprunge und Fortgange der Sprache, passim.  
 Confr. etiam quæ de influxu, quem in priscorum  
 ingenia hominum ruditas sermonis sui habuerit, e-  
 gregie observat HEYNE Opus. Acad. Vol. I. p. 191,  
 Vol. III p. 291. seqq.

#### §. IV.

Ex his, linguae cujusvis nationis majorem minoremve, pro modo culturae suæ, utilitatem facile omnino cuique patescere existimamus. Unde hac attente lustrata communi, qua quisque pollet populus, cognitionis penu, neque difficile erit de ingenii sui & divitiis & quasi forma, accuratum ferre judicium. Ubi in lingua sua, ad hanc vel illam ideam denotandam pertinens verbum aut phrasis haud invenitur; patet, talium rerum, vel plane nulla, vel admodum imperfecta, incerta & obscura cognitione esse instructum. Contra, lingua, verbis ac terminis, ad notiones sensusque exprimendos aptis locuples, pleniorum etiam rerum cognitionem idearumque copiam, quæ ingenii culturam produnt, gentem sibi comparasse indigit.

Hinc ab una parte, qui bene cognoscit gentis Ingenium ac cultum, etiam de lingua ejus haud absurdè potest existimare. Quum enim Nationem fertiliori ingenio praeditam,



)

12

(



rationis suæ culturæ de industria studentem, bene moratam virtutibusque ornatam amare vitam, deprehendimus; in dubium vocare haud licet, quin linguam etiam cultorem ditioremque habeat gentis alius sermone, quæ barbara ac rudis mansit. Quod verum esse certissimis testimoniis evinci potest. Sic, ex. gr. qui perspexerit, quibus in operationibus suis mens humana obstricta sit legibus, & Americæ peragraverit regiones, mox e feris nationum, plurimis ibi locis habitantium, moribus & bestiarum simili vivendi ratione, judicaverit easdem lingua rudi valde ac paupere uti. Idem Europæas cultiores adiens gentes, nonne itidem continuo differentiam, quæ has inter, non minus ratione linguæ divitiarum laudumque, quam vitæ transigendæ modi, atque cognitionis lucisque progressuum intercedit, animadvertet? Sed neque ab altera parte, qui linguam gentis cognitam habet, minus commode de ingenio ejusdem, cultu, cognitionis quo pollet lumine ac indole, judicare valebit. Quum enim ratio ipsa ac ingenium quasi fontes sint, e quibus virtutes linguæ profluant, sine quarum ope promoveri illa nequeant; hæc, illorum destituta beneficiis, valde omnino turpi atque deformi conspicienda sit facie, necesse est: & contra. Sic, si, neque monumentis, neque fidelibus aliis testimoniis, de feliciori atque præclaro olim Græcæ gentis ingenio, summisque in vario Scientiarum Artiumque genere progressibus, certiores redderemur; difficile tamen haud foret, illud vel ex linguæ indole singulari plane ac excellentissima, colligere. Cum, quæ alia scripta sunt lingua, in aliam convertere conamur, utriusque bene periti, facile nobis patebit, quænam & idearum penu & ingenii cultu ac divitiis alteri præstet.

Clare etiam ex his patet, eum, qui Linguam Gentis aliquujus ditare, perficere atque excolere fatagit, simul ejus-

jusdem ingenio excolendo dotibusque animi adjuvandis  
 egregiam navare operam; instrumentum is perficit, po-  
 steritati quoque illustranda & formanda apprime idoneum  
 atque potens. Contra linguam vernaculam negligere, est  
 gentem suam, ad barbariem, cum ingenii tum morum,  
 proniorem reddere. Quam ob caussam, quam laudabilis  
 illius Principis sit cura ac industria, qui de eo sollicitus  
 est, ut lingua civium suorum excolatur perficiaturque,  
 facile appetet; quum alios contra, qui fines Imperii di-  
 latare, ac aliarum gentium provinciis suam augere ditio-  
 nem valuerunt, saepe utriusque cives miseriores, ferocio-  
 resque magis quam feliores cultioresque reddidisse, re-  
 periamus. Dici quidem possit, nationem, quae vernacula  
 utitur paupere & inculta, alia tamen lingua sapere, & il-  
 lius jam perfecta atque polita ope lucem sibi comparare  
 cognitionis necessariam posse; ut Europæi olim Latina  
 lingua pro communi fere diu usi: quali consilio Galli-  
 cam hodie multis valde haberî familiarem novimus, ita  
 ut loco vernaculæ, hominibus conditionis ordinisque in-  
 primis honoratoris, passim inserviat. Parum autem hinc  
 populo commodi sperare licet. Primum ad paucos talis  
 cultus pertingit, & remotior a vita atque actionibus gen-  
 tis plurimis manere conspicitur. Plerique non alia quam  
 vernacula lingua cogitant; illius maxime conditio ingenia  
 civium fingit. Ac pauci etiam illi, qui peregrinæ discen-  
 dæ operam dant linguae, vix tamen eam ejus usurpandæ  
 attingunt perfectionem, ut commode illam ubique adhi-  
 bere valeant, nec partim vernacula partim extera cogi-  
 tent lingua, ideas sic suas impeditiores atque turbidores  
 reddentes. Ubi vero cum popularibus suis agendum est,  
 quomodo cognitionem suam illis vivide impertire, uti-  
 lemque satis efficere valebunt (a)? Ad experientiam pro-

vocare nobis licet: non erimus itaque in hoc argumento perlequendo verbosiores.

(a) Unde eorum patet stultitia, qui ad vulgum docendum, ad cultum Divinum celebrandum &c. alia lingua quam gentis vernacula, uti instituunt, quique patriam populi linguam (quam excolere atque perficere debebant) eliminare, aliamque ei substituere conantur. Hi totam idearum & sensuum seriem atque compagem, relationum & notionum accessoriarum formam, opus totius vitæ humanae, pro ingenii, conditionis, linguae natura & situ varie contextum & implicatum, uno quasi ictu dissolvere, transponere, alter ordinare & connectere volunt. Quanta dementia! Quanta naturæ humanae ignorantia! Quam inimicum, crudele, & tyrannicum in eos consilium, quos docturos sese atque illuminaturos profitentur! Hinc simul patet, quam manca, quam debilis quamque misera illa non potest non esse institutio & doctrina, quæ a Doctore proficiuntur, qui linguam discipulorum suorum bene non calleter vernaculam, sed *Interpretis* inopi atque inepta plerumque uti necesse habet opera.

S. V.

Si ad ordinem ac modum quo excoli sensim & felicissime perfici lingua conspicitur, attendere voluerimus; facile reperiemus, Poëtas ac Oratores, quorum sermo ad vulgum maxime pertinet, huic consilio prospere perseguendo in primis prodeste. Hi sententiis, imaginibus figurisque abundant; Ingenii sui & Phantasiaz vividioris ope, varios colores linguae quasi inducere, ejus-

jusque limites quam maxime dilatare valent. Qui quidem postquam faciliorem sic Philosopho patefecerunt viam, ille celeriter sua dein exprimere & divulgare potest placita, linguaeque subtiliorem illum & severiorem addere habitum. Non est putandum, linguae laudem ex Philosophica tantum sua pendere virtute. Minima omnino pars idearum nostrarum est distincta; intra quem quasi ambitum Philosophi maxime versantur. Multæ illæ ideas confusæ, etiam illæ debent figi & differentiæ earum suis accurate vocabulis signari, vividiores, clariores, certioresque reddi, & verbis phrasibusque aptis instrui.

Metaphoricae expressiones, minoris perspicaciae hominibus usum egregium præstare solent, ac eorum pedetentim magis magisque perficere atque clariores reddere ideas: quum enim rei alicujus, de qua perfectam nobis haud formare ideam possumus, cum alia quadam, cuius vividiori gaudemus cognitione, similitudinem atque convenientiam nobis demonstrare alii valent, hinc etiam clariori illius non possumus non notitia imbui. Et sic porro. Quæ egregie explicat SULZER l. c p. 190. seq. Ubi simul observamus, parum accurate eos rem expendere, qui linguam aliquam, quo magis evadit Philosophica, eo minus esse Poeticam, & contra, minus caute autuant. Quare Celeb. MEINERS: Ich habe die Anmerkung großer Männer bestätigt gefunden, daß die Griechische Sprache unter denen die wir kennen, zugleich die dichterischste und Philosophischte sey; d. h. daß sie ganze Klumpen von Ideen und Empfindungen, wofür in andern Sprachen nur einige Wörter sind, durch eine Grammaticalische Scheidekunst von einander sondert, und durch so viele Ausdrücke als bemerkbare Eigenschaften und Gegenstände sind, von einander scheidet. Revision der Philosophie, IV Abschn. p. 298.